
R. Regeli

Hiſtoria Jonæ
in verſus illigata.

Portus, 1618.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

1,-154.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01125 2

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

REGELI REGELI

PRIMITIÆ

Sive

HISTORIA JONÆ
in verſus illigata

INITIA ITEM PIETA-
TIS ADJUNCTA.

PORTUÆ,

Ex officina SARTORIANA,
Anno CIↃ. IↃC. XVIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

EX re valde Puteanus, imò ex poëta. Si quis magnis mentem applicat & cultum ingenij amat,

Det primos verſibus annos,
Mœoniumq; bibat fœcundo pectore fontem.

Iſte fecit, Lector, à me adiutus & inductus. Decimum quintum non attigit certe non implevit & ad eam provectionem venit & cultum. Ipſi adulti dicent ſupra nihil habere in hac parte. certè cum ipſis viris ferè pari paſſu decurrat hunc circum. explorent ſi tales ſunt, qui mihi hoc ſic non credent nam qui hic fallam aut fucum prævertam. Ego ille ipſe (exploſo alicui dicto) qui in aliquâ hîc famâ de me fateor vix ſupra eum aſſurgere, ſed in ſtructurâ verſuum & nexu. Nam invenire, diſponere judicium requirit & virum: in quos eum ætas non tranſcripſit in prætextâ adhuc ſe ferentem. Quòd in eâ ætate huc venit, laudent ſcio omnes & ament, quod in lucem iſta veniunt à tam juvene pauci, plures carpant, ſed qui à ſe hîc indigi & obſcuri. Quidquid iſti, ego non culpo ad famam prius quàm ad pubertatem venire, modo bonam. & utinam plures æmulentur utinam (liberè non ſuperbè dicam) plures ſic ducant, & prima hæc doctrinarum ac initia tamdiu non teneant iſtam juventutem. Salve Lector & favorem huc adfer & amorem.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Humaniſs. ornatiſs.q;
Viro
JANO BARTOLINO
Civi Visbyenſi
&
ARCIS IBIDEM SCRIBÆ
Affini Cariſs:
Dedico offeroq;

BEneficia & merita tua erga me, mi affinis, multa extant, quæ in me ab ætate puerili (de quâ tamen adhuc non exceſsi) variis modis poſuiſti, cùm mecum in animo perpendo quo modo aliquâ ſaltem ex parte perſolvi reddiq; poterunt, modum non in venio aut video ullum. Ne ta-

men inter ingratos ſim, ſignũ
& argumentũ dare jam volui
mei in te amoris, & tibi inſcri-
bere ac dedicare primos hos
meos conatus. obnixè petens
grato animo hoc vile velut ἀντι-
δῶρον ſuſcipere velis, donec ma-
jora aliquando potero ad te
ferre. Gallinæ dicuntur ova
quædã ſubventanea præmit-
tere, antequam edunt vera; ſic
& ego primò fœtum hunc in-
formem ad te mitto & majorẽ
dabo ſi vitam Deus prolon-
get. Vale & me amare nun-
quam deſine.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

AD LECTOREM MEUM PRÆFATIO.

PRata petat terrasq; alius viridesq; receſſus,
Exoptetq; ſoli ſibi jugera magna ſuperbi
Quidquid & in riguis errat feliciter oris.
Conſpicuos alius ſectet ſublimis honores
Et ſilvas auro redimat ſplendente nitentes.
Optet quod viridis tegit æquoris unda tenetq;
Quodq; ſub auricomis jam floret amœniter hortis,
Conquiratq; ducum ſvavem procerumq; favorem
Quodq; modo ſtulto videatur amabile mundo.
Inq; ſuis vitæ decurrat tempora gazis
Et ſibi divitias ſic cernat creſcere magnas
Quem vel avarities comitatur opumq; libido
Quemq; levis faſtus, quem læva ſuperbia tangit.
Haud moror : æterni tangor dulcedine Phœbi,
Ipſiusq; bibam de fonte ſcyphisq; liquores.
Nam placet in ſtudijs conſumere dulcibus ævum
Aoniasq; mihi citharas tentare lyrasq;,
Lætaq; perpetuis inſcribere carmina libris.
Hoc ſi ſuccedat ſatis eſt, majora requirat
Pectore quem ſequitur furor alta cupidoq; lucri.
Quidquid in his terris ſublime ſoloq; videtur
Et quorum flagrat languetq; cupidine mundus
Non durare queunt, nec ſecula ferre vel annos,
Sed tenebris norunt involuere fata ſciuntq;.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Frangitur argentum cum marmore diſperit aurum
Divitiæq; ſuum ſentiſcent æraq́; finem.
Dulcia ſed ſeram non norunt carmina mortem
Scripta nec æternas abeant peritura ſub umbras
Sed ſemper vivant poſtq; ultima fata ſuperſint.
Florida jam Muſis ſemper mea ſerviat ætas
Aonioſq; lubens quæram merearq́; favores.
Vos modo Pierides factis & mente favete
Inq́; meam pronæ date ſacchăra mulſaq; venam,
Ut donet longam vigilans induſtria laudem
Et recolant olim me ſecula priſca legantq́;.
Et ſic ſpero meos non ducam inglorius annos
Impediant niſi fata iſtos immitia curſus.
Lector ave ſerumq́; vale longumq́; ſub ævum
Inq; tuum verſus hos mitte librumq́; favorem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

REGELI REGELI

HISTORIA JONÆ.

FLorentes alij terras in carmina mittant
Magnasq́; æternis includant verſibus urbes,
Decantentq́; ſuos alij modo ſemper amores
Vitasq́; altorum deducant actaq́; Regum
Sævaq́; perpetuis impingant arma papyris;
Sed mihi nunc ſacris calamum placet addere chartis,
Iſtaq́; ſub claram poſthac educere lucem,
Unde Deus teneros habeat poſt Magnus honores
Et jam laude ſacrum decoretur honoreq́; nomen.
Adſis ergo meis Deus Optime Maxime ceptis
Vosq́; ſacræ Muſæ dulces concedite venæ
Succos, jamq́; preces votis adjungite noſtris
Metraq́; quod voveo mea Chriſte favoribus imple,
Ingeniumq́; mihi donis felicibus auge.
In Iudæa olim vir vixit eratq́; tenaci
Natus Amithai, Jonæ tum nomine notus,
Virtute ornatus multâ pietateq́; plenus.
Huic mandata Deus dedit & nova juſſa ſupremus
Iſta loquens: Propera facilem modò ſumeq́; curſum
Et ſubitò Niniven grandem te confer ad urbem,
Significaq́; ejus mihi triſtia crimina viſa
Et ſi non doleant de vitâ nequiter actâ
Aut vitium fugiant me irâ flagrare minaci
Velleq́; jam totos immiti perdere morte.
Diſceſſit Jonas mandataq́; ſprevit, & altum
Oceanum petijt, nautas reperivit euntes,
Queîs gratâ addixit perſolvere præmia mente:
Ipſorumq́; ratem nimiùm feſtinus inivit,

Propo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Propoſuitq; Dei blando diſcedere vultu.
Sed poſtquam in medium jam perveniſſet aquarum
Illius fucum meminit fraudemq; Jehova,
Inq; ſalum frigus tempeſtatesq́; profundum
Et ſubitas pluvias ac fulmina miſit amara,
Ut nautæ velis jam deſperantibus irent
Et navem perdi curvam frangiq; putarent,
Cenſerentq; ſuum vitæ ſe cernere finem.
Quare quisq; pijs adijt ſacra numina votis
Cordicitusq; Deum gemitu lacrimisq́; popoſcit,
Ut terram poſſent omnes attingere ſani
Menteq; ſic ipſi grates animoq; referre.
In mare miſerunt poſuêreq; vaſa profundum,
In ſe tempeſtas minùs ut ſic poſſet amara.
Quo Ionas viſo teneras diſceſſit in umbras
Seq; ſub ornatæ velavit tegmine navis.
Dormivit timidè ſomni carpſitq́; ſoporem,
Quem mox Dux navis revocans perterritus inquit
Quis te quæſo furor quæ te dementia cepit?
Surge modo & ſomnum ſubitò depone quietum,
Nobiſcum vigilans lacrimis ſuſpiria miſce
Sacraq́; vota Deo jam mitteq; daq́; ſereno
Voce petens ſcelerum veniam lacrimante tuorum,
Et tua jam mæſtam tangant ſic crimina mentem,
Omnes ne fluidis ſubito pereamus in undis,
Hicq; relinquamus vitam cum corpore caram.
Poſt in aquis ſortes jecêre fretoq; protervas,
Ut ſcirent tantas in quem Iova mitteret iras,
Et quare ferrent miſeræ infortunia vitæ,
Sorsq; ſuper Jonam venit ceciditq; dolentem,
Quem ſine lætitiâ nautæ acceſſêre timentes.

Tu

Tu modo ſignifices, ajunt, dic quaſumus omnes
Quâ causâ nobis ſint tanta ferenda pericla,
Tantaq; inſani pelagi pereamus in irâ.
Noſtra etenim puppis vento lacerata ratisq;,
Hicq; ut ſentimus ferè mergimur æquoris undis
Quisquis es aut qualis te patria prodidit alma?
Qua de gente leves te emiſſum dicis in auras?
Quisq; tuus labor eſt aut quêis verſaris in oris?
Quasq; modo properas hinc pergere lævus in urbes?
Illacrimans verbis reſpondit & inquit amicis.
Sum gente Hebræus de ſtirpeq; natus honeſtâ
Iamq; Deum timeo qui vi regit aſtra manuq;,
Qui cœlum & terras, qui flumina numine complet.
His reliqui dictis magis admonituq; timebant,
Invaſitq; illos tremor & ſine ſangvine ſtabant
Cur te, ajunt, miſerum fraus tanta dolusq; fefellit
Corq; tuum & mentem ſeduci ſicq; ſinebas,
Ut precibus parêre Dei monitisq; negares
Ejus & arguto fugeres cum murmure vultum.
Unde quibusq; modis (nobis modo conſule) ſævæ
Hæ tempeſtates ſedari turboq; poſſint,
Ne pelagi nobis nocitura ſit ira profundi,
Nosq; tua inſontes ob crimina ſæva luamus.
Reſpondit lacrimans precibusq; popoſcit & inquit,
Tollite me miſerum meq; in mare mittite vaſtum,
Ut cito fluctiſonis pelagi ſubmergar in undis,
Abÿciantq; ſuos freta mox mittantq; furores;
Nam ſcio quod grandem Deus in me miſerit iram,
Hosq; igitur fertis mecum capitisq; dolores.
Mox ſtuduêre aliquam celeri pede tangere terram.
Sed vetuit turbo vetuêreq; murmura venti,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Nam tumidum rapidis agitatum fluctibus æquor.
Poſtea ad aſtra ſonum miſere Deumq́; querentem
Ne nos, ajebant, in aperta pericula mergas
Iſtius veniatq́; ſuper nos ſangvis eatq́;,
Nam tibi quod lubuit totum placuitq́; peractum eſt.
Inq́; fretum Jonam poſt abjecêre profundum,
Adq́; ſuam venit mare mox redijtq́; quietem.
Unde viri poſito, ceperunt gaudia, luctu
Inq́; hymnis grates Domino cantuq́; ſonarunt,
Donaq́; larga Deo laudemq́; dedere perennem.
Ecce Deus grandem parvo poſt tempore piſcem
Emittens Jonam ſub viſcera condere juſsit.
Tresq́; in piſce dies permanſit eratq́; voraci,
Adq́; Deum vocem miſitq́; tulitq́; precantem.
In miſeris colui Dominum de pectore rebus
Et timui fatis nimium perculſus acerbis,
Meq́; illi lubuit triſtem placuitq́; dicare.
Te ſimul horrendi celebravi in ventre barathri
Et tibi ſumme preces miſiq́; dediq́; timentes,
Tu quibus haud aures pronus præbere negaſti.
Tu me cœruleas miſiſti offenſus in undas
Vaſta jubens animam circumdare flumina mæſtam,
Ut caput alta meum tegeret maris unda fretumq́;.
Tranſcendêre tui me fluctus, iſtaq́; dixi.
Proh dolor á facie videor projectus amœnâ
Deq́; tuis oculis non inſons miſſus apertis,
Nec ſpes ulla manet ſanctum mage cernere templum
Me mare velavit, me tranſiit æquoris unda,
Meq́; profunda citô freta vallauêre jacentem,
Subq́; imos ſubitò montes ſubmerſus abivi.
Sed neq́; ſumme parens hæc tollere dura negaſti,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Et mihi conſilium vivendi mite dediſti.
Cumq́; mea anguſto premeretur vita dolore
Et mihi cum planè contraria cuncta viderem,
Emiſi gemitus, placidâ quos aure bibiſti
Et me ſumme tuis juviſti viribus almis.
Qui te ergo fugiunt & vana ſeqvuntur amantq́;,
Abijciunt ſvavem ſubitò perduntq́; ſalutem.
Verum ego cui melior jam vita ſalusq; videtur,
Ipſe tuas cupidus ſub ſidera tollere laudes
Dona tibi reddam ſolemnia ſpontè decusq;,
Quæq; tibi vovi ſum pollicitusq; referre
Sedulus adveniam ſumma cum laude daturus.
Jamq́; Deus piſcem ſubitoq́; citoq́; vocavit
Deq; ſuo Ionam demittere ventre jubebat.
Quem Dominus dictis adiens juſſuq; ſecundo
In Niniven iterum celeri pede pergere juſſit,
Ac aperire ſuum populo ſine crimine ſenſum.
Surrexit ſubitò mandata ſerena ſeqvutus,
Intravitq; iſtam Deus in quam dixerat urbem
Quæ tum continuit miliaria multa viarum,
In cujus medium cum perveniſſet, apertâ
Voce loquelam iſtam triſti dedit oreq;: Iam pòſt
Quadraginta dies vos veſtraq́; tecta peribunt,
Aut avertatis vos prava à mente malaq́;.
Hæc cùm dicta Deum timuerunt turba perennem,
Suntq; interdicti cererem juvenesq́; ſenesq́;
Sumere, vel calicis teneros haurire liquores,
Poſt pulcras juſſi ſubitò deponere veſtes
Et ſua prælongis abſcondere corpora ſaccis,
Iſtaq; cum Regi fuerant patefacta ſereno
Excelsâ triſtis de ſede locoq́; receſſit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Abjecitq; ſuam pro conſvetudine veſtem,
Utq; alij ſeſe texit velamine ſacci,
Sedit & in cineris medio, mœroreq; multo,
Iuſſaq́; poſt totam lacrimans emiſit in urbem.
Ut bobus fontes tegerentur, pocula plebi,
Et prohiberentur brutis alimenta virisq;,
Deq́; vijs ſævis populus vitijsq́; redirent.
Et longis homines tecti jumentaq́; ſaccis
Voce Deum colerent quali novêre ſupremum.
Rurſus ut ignoſcens animi citò flecteret iram
Errorumq; daret veniam ſcelerumq; faventem,
Inq; ſuum pronus ſe ſe revocaret amorem,
Nec ſe converſos letho mox perderet atro.
Cumq; Deus Niniven ſua ponere crimina vidit,
Haud dedignatus voces audire precantes
Deq; irâ vertit mentem traxitq́; minaci,
Quasq; modo pœnas planè meruêre, carebant.
Hoc Jonas animo lentus tolerabat iniquo
Inq; odium multum ſubitò rabiemq́; redibat
Iratusq́; Deo dixit tumidusq́; ſereno.
Hæc Deus anne prius fueram tibi magne profatus
In noſtris vivens terris regioneq́; dudum?
Et quia te novi ſævis ignoſcere factis
Atq; animo ſemper te connivêre paterno
Quodq́; diu ſuffers vitiumq́; remittis amarum,
Inq; tuum redeant omnes veniantq́; favorem.
Ergo tuos fugi, quos cerno rurſus ocellos,
Mente auſusq; tuis animoq́; reſiſtere juſſis
Ergo quæſo meam digneris tollere vitam
Mundum nunc odi ac hinc pronus abire præopto,
Mors etenim vitâ melior, mihi carior auro

Imo

Imo, eſt, inq; levi totum mihi morte levamen.
Reſpondit ſubitò verbisq; minacibus inquit.
Tam ſubitam motus cur jam tibi colligis iram?
Cenſes jure mihi te ſuccenſere putasq;?
Hinc tacito Ionas mox ore receſſit, & altæ
Ipſe pedes urbis tulit extra limina rurſus;
Ut tandem poſſet ſine lævâ cernere noxâ
Quas lueret Ninivè propter ſua crimina pœnas.
Tecta ſibi ſubitò formoſa locumq; paravit
Ac ibi ſe poſuit placidaq; quievit in herbâ.
Et Deus en hederam fecit pòſt creſcere magnam
Quam mœſti crines abſcondere juſſit Jonæ,
Ut ſub pace bonâ, placidâq; quieſceret umbrâ.
Is gratos igitur cordis ſibi ſumſit amores
Exq; hederâ lætâ cepit mera gaudia mente.
Poſt Deus aurorâ vermem ſurgente ferocem.
Conſtituens hederam citò frangere juſſit amœnam
Rurſus ut in nihilum planè diſtincta periret.
Curavitq; euros orto pòſt ſole ſerenos,
Percuſſitq; caput Ionæ ſol aureus, undè
Ad zelum rurſus ſubitum converſus & iram,
His iterum petijt terris diſcedere, dicens:
O ſi jam morerer! vitæ ſi finis adeſſet!
O ſi jam mortis penetrarem, lætus ad umbras!
Nil poſſet melius fieri nec amœnius unquam.
Reſponſum retulit celeri Deus ore diſertum.
Reris, ait, tantam juſtè quòd ſumſeris iram
Nam ploras hederam perijſſe dolesq; virentem.
Una quæ in lucem ſub nocte emiſſa ſerenam
Unâ iterum faciles dilapſa perivit in auras.
Et ſiquidem lacrimans hederæ misereris amaræ

 Propter

Propter quam nullos toleraſti ſæpè labores,
Nullaq; cura tibi quondam fuit illius ortus,
Quid mirare igitur vitijs me parcere ſævis.
In Niniveq; meum ſic reddere ſpontè favorem
In qua ut ſcis hominum verſantur millia multa
Qui non à dextrâ norunt diſcernere lævam
Multaq; nunc errant tantis jumenta ſub oris.

INITIA PIETATIS
ſeu
PARVA BIBLIA

DECEM PRÆCEPTA.

NE modo ficta colas alienaq; numina, verum
Soli mente Deo laudem dare ſcito decusq;
Teq; ipſi totum ſine fuco fraudeq; dedas.
Iuramenta tuo ne connumerentur in ore
Sævaq; nec cuiquam jurante precabere linguâ
Etſi commeruit. Nec abutere nomine tanto.
Sume die placidam quo vult Deus ipſe quietem
Et ſcelera abijciens quibus es conſtrictus amara
Voce Dei ſacrum qua noſti nomen adores.
Sis memor æterno mactes ut amore parentes
Et tibi de celſo ductoribus æthere miſſis
Innumeros tribuas donesq; haud ſegnis honores
Cæde modo digitos ne tinge manumq; cruenta
Adq; homines nullos odio permotus & ira
Immiti cupias ſubito demittere morti.
Caſtam proponas ſemper traducere vitam
Nec puram dele maculis extingueq; famam
Ut tecum vivat ſeros vigeatq; ſub annos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Noli ſi ſapias quoquam te aſtringere furto
Aut auferre dolis alienas fraudeq; ſortes.
Ne contra ſævum falsè teſtaberis hoſtem
Nec dictis cuiquam mendacibus eripe nomen
Sed fer opem cunctis, & tolle levaq; jacentes
Vicini ne tecta petas ſedemq; benigni
Ædibus èq; ſuis miſerum ne extrude locisq;.
In thalamum alterius noli adſpirare thorumq;
Inq; boves quos alter habet jumenta gregesve
Quæq; ſibi juſtè precioq; paravit honeſto.

SYMBOLUM APOſtolicum.

IN ſummum credo cœliq; ſoliq; parentem
Inq; Deum pono jam ſpemq; fidemq; ſupremum
Cujus ſunt terræ cujus cum fluctibus æquor
Unigenumq; patris natum, de flamine ſacro
Conceptum, & caſtæ genitum de ſtirpe Mariæ
Qui ſub Pilato ſubijt ſine crimine pœnas
Affixusq; cruci vitam ſine jure reliquit
Contectusq; ſacro poſt impoſitusq; ſepulcro
Mox imas barathri velox deſcendit ad umbras
Ternos poſtq; dies letho ſurrexit ab iſto
Adq; alti aſcendit facili pede culmina cœli
Aſſidet & patri cum quo ſine fine manebit
Undeq; jam tandem poſt ſecula pauca redibit
Æternam juſtis vitam cum laude daturus.
In ſummosq; ſuum populum miſſurus amores
Firmamq; in flamen ſpem colloco ponoq; ſacrum
Quodq; ſit à Chriſto progreſſa Eccleſia credo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Quodq; Deus mundi ſcelus auferat omne nefandi
Proq; ſuo pronus delicta favore remittat
Quodq; olim cuncti tacita de morte redibunt
Inq; reſurgentem mittantur eantq; ſalutem.

ORATIO DOMINICA.

SUmme parens hominum Deus optime Max: Rexq;
Qui juſte in cœlis regis omnia fata ſerenis
Sit decus imperium tibi ſit mera gloria ſoli
Lausq; tua in ſerum vigeat venerabilis ævum
Cœlum ſit nobis licet haud mereamus apertum
Nec venturum ipſi ſi perdimus aufer honorem
Daq; voluntatem ſine fuco & fraude ſequamur
Ritè tuam: ſemperq; hic magno ut in æthere fiat
Nobis da panem qui nos ſuſtentet alatq;
Et cererem noſtras immitte ſerenus in cras
Ac ut nos alijs nobis ſic cuncta remitte
Nec nos offenſus dura in tentamina ducas
Sed modo te rebus præſta ſolamen in arctis
Sævaq; ſume lubens auferq; pericula mitis,
AMEN.

De BAPTISMO.

TOtum (ſic jubeo) jam viſite & ite per orbem
Divinisq; feras verbis contundite mentes
Sacraq; jam populos ad flumina mittite cunctos
Et celeres ſancto baptiſmi in fonte lavate
Nam qui crediderit ſine fuco fraudeq; firmus
Et ſacras rectè fuerit deductus ad undas

Æter-

Æternos olim pius ingrediatur honores
Et cum ſpiritibus ſibi gaudia ſumat amœnis.
Qui negat, haud mortem ſibi derogeᵗ ipſe manentem
Sed ferat æternum lacrimans capiatq́; dolorem
Et cum perverſis ſeros triſtabitur annos.

De Cœna Domini.

ASſumſit panem Chriſtus ſibi nocte ſub iſta
(Inſons quâ ſævam ferret ſine crimine mortem.)
Quem, poſtquam grates dixiſſet fregit, & almos
Diſcipulos ſacram ſibi ſumere juſsit in eſcam
Huncq́; ait in veſtram jam mandite ſpontè ſalutem
Corpore ſicq́; meo volo vos jubeoq́; potiri
Ut jam ſæpè mei meminiſſe ſciatis amantes
Sic & cum cœnam ſumſiſſet mœſtiter almam
Accepit calicem grates retulitq́; ſerenas
Vos inquitq́; pijs conſumite cordibus iſtum
Nam meus eſt ſangvis qui extinguere crimina fuſus
Jamq́; meum ſummo mactetis honore bibentes
Nomen, & in veſtrâ me includere mente ſciatis.

Benedictio Mensæ.

IN te ſpem tollunt ſub quovis orbe manentes
Teq́; fame viſunt DEUS anxietateq́; preſsi
Qui relevas miſerum cum te vocat ille juvasq́;
Quiq́; cibis populum dextrâ ſolaris apertâ
Quiq́; ſoles pecudes ſaturare cupisq́; feroces
Et tua cunctum animal recreat benedictio largè.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

GLORIA.

GLoria ſit tibi ſumme Deus filiq; perennis
Et tibi perpetuo ſit ſancte ſpiritus ævo
Qui longè unanimes ante omnia ſecla fuiſtis
Eſtis adhuc, poſt nos & in omne vigebitis ævum,
AMEN.

ORATIO DOMINICA.

ALme pater cœtus quem concinit omnis olympi
Nomen ubiq; tuum ſanctumq; potensq; colatur
Et mentis plauſu ſuper aſtra decora feratur.
Immitis cœlo nè nos prohibebis amœno
Sed patriam nobis ibi pande locumq; manentem.
Hic velut in cœlis fiat tua prona voluntas,
Nobis da placidam qua ſuſtentabimur eſcam,
Debita proq; tuo jam noſtra favore remitte
Nos velut in noſtros hoſtem revocamus amores
Ne modò tentemur ſine ſpeq; fideq; timentes
Sed nos perverſo Deus in diſcrimine ſerva,
AMEN.

O genitor celſi torques qui ſidera cœli
Menſis his adſis fauſtis nos rebus adimple
Appoſitasq; dapes jam proſperitate ſubauge
Sponte tua noſtrum quas miſiſti almus in orbem
Quêisq; velis larga nos de bonitate potiri
Per Chriſtum Dominumq; Deumq; in ſecula noſtrum,

A M E N.

Gratiarum Actio post cibum.

Collaudate Deum terræq; fretumq; perennem
Cujus ſera viget bonitas ſub ſecla manetq;
Et cujus nullos novit clementia fines
Omni qui carni ſemper dat & ingerit eſcam
Cunctaq; jumentis alimenta cibosq; relinquit
Mittere nec victum teneris ab amore negabit
Qui ſe ſponte vocant miſero ſub tempore corvis.

Gloria.

Sit patri & nato laus ſpirituiq; ſacrato
Æternum utq; prius ſic pòſt erit omnibus annis.

Oratio Dominica.

Magne ſator mundi pater alme ſatorq́; ſalutis
Omnia concelebrent hominum te ſecla piorum
Omnis ubiq́; tuos cantet modo cœtus honores
Da nobisq; tuum regnum vitamq́; venire
Æternam, in cœli nos mitteq́; ferq́; receſſus
Magna tua in terris præſtetur honore voluntas
Cum ſummo fiat ſemperq́; ut in æthere celſo
Victum da nobis & cultum mitis amictum
Nec placidas unquam cupientibus eripe ſortes
Crimina noſtra aufer magnos extingueq; nævos
Utq́; hoſti ſentis nos ritè favere videsq́;
Sic & condona ſic debita neglige noſtra,

Ne Satanam jubeas nos vi tentare ſinasq́;
Nec fuco lædat, nocitura ſed eripe damna,
AMEN.

O genitor ſine fine potens, ſine fraude fidelis
Nos tibi per Chriſtum Dominumq́; Deumq́; perennes
Pro ſumtis dapibus grates modo dicimus omnes
Vivis qui clemens omni ſine fineq́; vivas
Viq́; regas cœlum quæ continet aſtra ſerenum,
AMEN.

PRECES MATUTINÆ.

LAudes alme tibi cœliq́; ſoliq́; Creator
Per genitum modo dico tuum referoq́; ſupremas
Nocte quod â damnis me prætereunte levaſti
Et nocitura mihi detraxeris omnia mitis,
Teq́; levi ſupplex iterum rogo voce lubensq́;
Ut me luce tuis condens veniente ſub alis
Sponte mei curam faciasq́; gerasq́; faventem
Conſervesq́; meam (quod amans precor oroq́;) mentem
Turpia ne cupidus committere crimina pergam
Ut poſſint mea facta tibi moresq́; placere
Et caſtam liceat vitijs ſine ducere vitam
Iamq́; tibi totam trado cum corpore mentem
Inq́; tuam ſenſus vim mitto manumq́; benignam
Cunctaq́; quæ mitis mihi membra artusq́; dediſti.
De me ne genius ſe flectat eatq́; ſacratus
Ne Satanas fuco poſſit ve velit ve nocere
Mittere nec miſeræ queat infortunia vitæ,
AMEN.

O PA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

O pater in ſummis complectens omnia cœlis
Præſidio pollens multoq; favore replete
Laus ſit honosq; tibi nullo delebilis ævo
Quod me per Chriſtum lucem triviſſe diemq́;
Præter mœrorem, præterq; pericla volebas
Teq; modò votis pronus precibusq; repoſco
Nævorumq; peto veniam ſcelerumq́; perennem
Quêis tua juſſa hodiè mandata verendaq́; ſprevi
Et ſic jure tuam merui non inſcius iram
Hacq; rogo me nocte juves ab amore beesq;
Inq; meam clemens mittas ſacra flammina mentem
Sitq́; meum longæ tibi cor quod dedico curæ
Quodq́; tibi trado releves tueareq; corpus
Jamq́; mihi genium jubeasq; ſinasq; favere
Qui mihi cum Satanas operam det obeſſe petatq́;
Ipſum vi celeri poterit prohibere velitq;.

A M E N.

AD REGELUM REGELUM meum pro maturis his primitijs.

Pocula de ſacro ſic ſume fluentia fonte
Et clarijs undis mentem madefacq; rigaq;
Iucundisq; modis ludentia carmina necte
Et ſummo ſtudio ſacros bibe Regele fontes
Magnus ſic Phœbus cingat tua tempora lauro
Atq; tibi Muſæ nectant florentia ſerta
Et tibi de violis jungantq; ligentq; coronas
Pegaſeæ Nimphæ folijsq; perennibus ornent
Adq; altos venias ac extollaris honores
Protendasq; caput famamq; ad ſidera celſa
Sic modo deducas vitam vigilantèr & annos.

Laurentius Olaus Nico. F.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-154 4° 1125